

1532

Ceterum Cæsar, exercitu, qui ad Viennam convenerat, dimisso, in Hispaniam reverti statuit; ad Auriam, qui adhuc mari Ionio detinebatur, datis literis, ut, nulla interposita mora, Genuam contenderet. In itinere vero Bononiæ convenire Clementem decrevit, ut illius animum, quem ob latam nuper in Mutinensi, ac Regiensi causa sententiam offensum persenserat, leniret, sibi que conciliaret. Inde enim haud parva sibi adjumenta accessura rebatur, illiusque auctoritate arctiori sibi fœderis vinculo Italos Principes, ac præsertim Venetos adstricturum: quod non modo ad præsentem rerum Italicarum statum retinendum opportunum sibi fore videbatur, verum etiam ad Gallicos motus discutiendos, cum Genuæ defectionem moliri non exiguis argumentis Regem vulgaretur. Quatuor a senatu oratores designati, qui Cæsari in Italiam adventanti obviam irent, atque per suos fines deducerent: Marcus Minius, Hieronymus Pefareus, Laurentius Bragadenus, Marcus Foscarus: decem aureorum millia, quæ in eo excipiendo infumerentur decreta. Carolus a Ferdinando fratre Villaccum usque deductus est, qui Oenipontem desectens, mox in Germaniam reversus est. Cæsarem, Pontebæ Veneti oratores exceptum, usque ad Mantuanorum fines prosequuti sunt. Cum Spilimbergi in Forojulio esset, de Bononiensi conventu cum iis verba fecit, atque ut facultas de novo agitando fœdere a Republica mitteretur, petiit. Ea re Senatorum animi haud parva molestia afficiebantur, cum inde gravia subire posse pericula Rempublicam animadverterent, vererenturque, ne Suleimanus, cui illius consilia suspecta esse cœperant, hostile aliquid moliretur, efferamque Turcarum gentem in se concitarent. Nam Alba Græca discedens Suleimanus, Janusbejum legatum Venetias misit, ut prospere, ac feliciter in Pannonia ab eo gesta Senatui significaret; qui graviter admodum conquestus fuerat, nostros cum Cæsareanis ad Salonam Dalmatiæ oppidum expugnandum se contulisse: hujus vero rei indicem Byzantium perductum. Senatus decreto Janusbejo responsum fuerat, Rempublicam cum Suleimano pacem conservare, eamque diuturnam optare; cum ea mente sit, haud quam vero simile esse, quod illi repugnet, quidquam agitare. Verum Sici Comitem literas ea de re ad Senatum dedisse, quibus

*Oratores a
Venetis ad
Cæsarem de-
signati.*

*Janusbejus
a Suleima-
no Venetias
missus.*